

magistra. Nihil vero antiquius illi, quam veræ sapientiae studium, et meditatio mortis. Tota Viri Iuuenis vita, morum elegantia nobilis et integritate, continua pietatis videtur fuisse praxis: non fuit illi mortale, quod optabat: sui perpetuo memor lethi, qui buseunque renuncians mundi voluptatibus, quae peccatorum sunt illecebrae, diuina gratia hoc egit sedulo, ne si quando, quod omni possit fieri hora, cum morte vita commutanda esset, vitae simul atque mortis illum poeniteret. Sic ille suorum cum excitauit spem maximam, ante quidem fibi diu praeuise, sicut tamen studiosissimis acerbissimae, succubuit morti. O vices mortalium incertas! O mutabilem vanamque nimis rerum humanarum conditionem! Tribus abhinc hebdomadibus febri maligna atque ardentis correptus afflictusque misere, nullum operae humanae reliquit locum, quicquid industriae et artis, quicquid vel exquisitissimae curae et auxiliis adhiberetur. Indies morbus inualuit, donec pridie Non. Decembr. ante lucem hora vi. insigni pietate, constantia animi, et fide discesserit, omnemque de se conceptam a plurimis et pia in primis Matre spem eliserit atque prorsus eneruavit. Durum, durum profecto est, Commilitones, fatum: sed leuius patientia fit, quicquid corrigere est nefas. Cras vi. Idus Decembris, hora post meridiem tertia, funus ex aedibus maternis, iuxta Collegii aream, ducetur. Vestrum ergo erit, Ciues et Commilitones Humanissimi, frequentes ire exequias, et honesto comitatu Nobilissimi Commilitonis vestri exuvias prosequi; testatum scilicet, quanto affectu ZOLLIVM et viuum amaueritis, et nunc vobis ereptum desideretis. Valete atque, ut sapere quisque cupit. viuite memores lethi, cuius eadem est omnibus via, quamuis non idem vitae omnibus exitiique modus. P. P. Rintelii vii. Idus Decembris cl. lccc xxxviii.